

6º Denique commodatarius repeteret non potest impensas quas fecit ut re sibi commodata uteretur, v. g., pabulum quod equo dare debuit. *Art. 1886.*

De obligationibus commodantis.

1º Commodans tenetur rem non repeteret ante tempus præfixum, vel ante tempus necessarium ut ea commodatarius uti valeat. *Art. 1888.*

2º Restituere debet omnes expensas extraordinarias, necessarias et urgentes quas in re conservanda commodatarius fecit. *Art. 1890.*

3º Si res quædam habeat vitia nociva, et ea commoda non declaraverit, cuncta damna inde commodatario ex-surgentia resarcire tenebitur. *Art. 1891.* Omnes illæ obligations in jure naturali evidenter sunt fundatae.

CAPUT OCTAVUM.

DE MUTUO ET USURA.

Præsens caput in quatuor dividemus articulos; 1^{us} erit de mutuo generatim spectato; 2^{us} de lucro vi mutui percepto, seu de usura; 3^{us} de lucro occasione mutui percepto, seu de titulis propter quos aliquid supra sortem percipere liceat; 4^{us} de regulis in praxi circa hanc materiam sequendis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MUTUO GENERATIM SPECTATO.

Contractus ille est usuræ sedes, ut infra dicemus; sedulo igitur natura ejus investiganda est. Recte definitur: *Contractus quo rei primo usu consumptibilis dominium alteri per traditionem transfertur, cum obligatione rem similem in eadem specie et bonitate reddendi, post aliquod temporis spatium.*

Dicitur 1º *rei primo usu consumptibilis*, ut panis, vini vel pecuniaæ quæ, licet usu non pereat in se, perit tamen ei qui illam tradit alteri; in rebus vero quæ primo usu non consumuntur, mutuum proprie locum non habet, sed commodatum, aut alias contractus.

Dicitur 2º *quo dominium alteri transfertur*; qui enim rem aliquam mutuo accipit, ea uti potest, alioquin merum esset depositum: at concepi non potest quod illa uti queat, si dominium ejus non habeat, siquidem res supponitur usu consumptibilis: ergo de natura mutui est dominium transferri. Ex eo præcise *Justinianus*, et post ipsum theologi et juriste, hunc contractum vocant mutuum, quasi ex meo tuum. Hinc quovis modo res mutuo data crescat, decrecat aut pereat, mutuatio crescit, decrescit aut perit.

Dicitur 3º *per traditionem*; quia ille contractus est realis, et sola traditione perficitur.

Dicitur 4º *cum obligatione rem similem in eadem specie reddendi*; si enim res traderetur absque ulla obligatione eam reddendi, esset donatio; si res similis non esset reddenda, sed una pro alia, v. g., vinum pro frumento, frumentum pro pecunia, permutatio esset vel venditio; si res eadem physice et in individuo reddi deberet, ut equus, domus, etc., commodatum vel locatio foret, non vero mutuum.

Res autem aliquando in eadem specie physica reddi debet, et aliquando in eadem specie morali eam reddere sufficit.

Pecunia in eadem specie morali reddi potest, si contrarium juste non fuerit stipulatum, id est, sufficit ut idem valor extrinsecus detur, sive moneta quæ tradita est creverit, sive non; si e contra decreverit, idem valor extrinsecus nihilominus reddi debet; nam ubi de pecunia nummaria agitur, magis valor extrinsecus attenditur quam entitas physica. Hoc etiam Codice statuitur, art. 1895.

Diximus si contrarium juste non fuerit stipulatum; nam mutuans sufficientes habere potest rationes exigendi ut eadem species physica sibi reddatur, v. g., aurum, quia illud facilius abscondet vel transferet; pariter, si speret so-

re ut moneta quam tradit crescat, stipulari potest eamdem sibi reddendam, modo tamen illam conservaturus fuisse; si enim illam conservare non debuisset, nullum jus ad augmentum haberet.

Res aliae usu fungibles in eadem specie physica, in eadem mensura eodemque numero vel pondere reddi debent, v. g., modius tritici pro modio tritici, duodecim ova pro duodecim ovis, una libra butyri pro una libra butyri, etc., sive pretium creverit sive decreverit, nam in iis rebus plus entitas physica attenditur quam valor earum extrinsecus. Si tamen dubium foret cujusnam valoris res illa futura esset tempore restitutionis, stipulari licet ut redderetur secundum valorem quem habet tempore quo mutuo datur, sive major vel minor quantitas redderetur prout pretium ejus crevisset vel decrevisset; nam mutuans jus habet ad valorem rei tempore quo eam tradit: stipulari ergo potest valorem istum sibi reddendum esse. Imo, etiamsi certus esset quod pretium decresceret, propter eamdem rationem exigere posset, absque ulla injustitia, ut juxta presentem valorem sibi redderetur, v. g., si modius tritici sex fr. valeat mense aprilii quo illum dat mutuo, et certo cognoscat quatuor fr. tantum esse valitum mense septembri quo reddi debet, stipulari potest quod modius cum dimidio sibi reddendus sit; nam solum se compensat, et lucrum ex mutuo non facit. Ita Layman, Cabassut, Pontas, Collet, Billuart, etc.

At nullum incrementum exigere posset, si triticum usque ad mensem septembrem certo conservaturus esset; nam lucrum ex mutuo perciperet, quod prohibitum est, ut infra dicemus. Si, e contra, triticum non servaturus, pretium ejus certo augendum prævideret, exigere non posset ut eadem quantitas sibi redderetur, siquidem tunc mutuum ipsi proficuum foret. Sic Pontas, v^o Usure, cas. 20, citans Sylvium, et, post utrumque, Billuart.

Dicitur 5^o in eadem bonitate; non sufficit enim ut res similis in eadem specie reddatur; mutuans debet esse indemnis et tantum accipere quantum dedit: atqui tantum non acciperet quantum dedit, si res similis in eadem bo-

nitate non redderetur, si, v. g., vinum commune pro vino generoso retribueretur.

Dicitur denique 6^o post aliquod temporis spatium. Hinc mutuum differt a cambio in quo aurum, v. g., pro argento hic et nunc datur; differt etiam a precario, in quo res fungibilis ad mentem concedentis tribuitur, et reddi debet statim ac repetitur.

In mutuo autem, vel tempus ad illud reddendum fuit praefixum, vel non: si tempus fuit praefixum, mutuans illud ante hoc tempus repeteret non potest, nisi ob extraordinariam causam, prout de commodato diximus: unde si ante hoc tempus mutuum absque causa sufficienti repeatat, damna inde secutura reparare tenebitur. Pariter, si, tempore dicto, mutuarius mutuum non reddat, damna inde ventura resarcendi obligationem incurrit. Si autem tempus non fuerit statutum, mutuans rem suam exigere non potest ante elapsum temporis spatium moraliter requisitum ad obtinendum finem propter quem res fuit postulata: at, elapso rationabili isto temporis spatio, mutuarius rem ad mutuantis beneplacitum reddere tenetur. *Ita omnes pro diversis casibus.*

Quæritur an mutuum sit de præcepto.

Notandum est quadruplicem institui posse classem inter personas quæ mutuum petunt: aliae enim sunt divites et mutuum ad opes augendas postulant; aliae quamvis sint divites, vere tamen hic et nunc mutuo indigent, v. g., ad item terminandam, ut in damno repente advenienti impares suis obligationibus non reperiantur; aliae sunt pauperes, sed fundatam spem habent bona deinde obtinendi hæreditate, v. g., vel industria; aliae denique sunt ita pauperes ut rationabiliter judicare non licet eas habituras esse postea unde solvere queant.

His notatis, R. 1^o. Mutuum non est de præcepto respectu divitum qui ad opes augendas illud postulant; in nulla enim necessitate constituuntur: ergo nulla est obligatio justitiae, nec etiam charitatis, illis subveniendi. Ita Collat. Paris., t. 1.

R. 2^o. Stricta existit obligatio charitatis mutuum ex

superfluo dandi divitibus, qui propter aliquam circumstantiam illo nunc vere indigent; nam præceptum charitatis erga omnes homines etiam divites nos obstringit, et exigit ut hoc illis libenter præstemus quod in pari circumstantia nobis prestari rationabiliter vellemus: at certe rationabiliter in tali necessitate vellemus alterum nobis succurrere per mutuum quod absque sui incommodo nobis præstare posset: ergo. *Sic omnes theologi*, et pro hac response innumera afferri possent Scripturæ sacræ et SS. Patrum testimonia.

R. 3º. Strictissima existit obligatio charitatis mutuum præstandi pauperibus qui deinde bona sunt habituri; adest quippe obligatio necessitatem patientibus per eleemosynam vel per mutuum subveniendi; sed eleemosynam illis largiri non necesse est, siquidem bona habituri supponuntur; requiritur ergo et sufficit ut per mutuum illis subveniatur, non solum ex superfluo, sed aliquando ex iis etiam quæ plus minusve sunt necessaria, secundum speciales circumstantias. Hoc sensu ab omnibus intelliguntur textus Scripturæ et Patrum circa obligationem mutuum dandi.

R. 4º. Quoad alios pauperes, qui nec bona habent nec habituri sunt, modo stricta, modo strictissima existit obligatio per eleemosynam illis subveniendi: at nulla est obligatio mutuum eis præstandi. Quinimo existit potius obligatio mutuum non dandi; nam, ex hypothesi, probabilis nunquam habebunt unde solvere queant: crudeliter ergo imponeretur illis obligatio id reddendi quod minime reddere possent. Unde risu vel indignatione potius quam laude dignus haberetur ille qui, eleemosynam mendicanti impertiendo, intolerabile onus illi imponeret idem postea restituendi. Ita P. de Gasquet, t. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LUCRO VI MUTUI PERCEPTO, SEU DE USURA.

Usura, ab *utendo* sic dicta, idem significat ac usus, sive bonus, sive malus; in bonam igitur et in malam partem

DE CONTRACTIBUS.

397

æqualiter sumi potest. Sed mos prævaluit ut in malam partem semper sumeretur. Vocatur a Græcis *τοξη*; quasi per antiphrasim, quia illius ope pecunia, licet de se steriles, fetum producit; unde a Latinis fenus dicitur. Ab Hæbreis appellatur *שׁב* quod idem significat ac morsus, quia mordet et quasi devorat substantiam illorum qui eam solvunt.

Usura autem recte definitur: *Lucrum ex mutuo immediate seu vi mutui proveniens..*

1º Dicitur *lucrum*, sive magnum, sive parvum, vel etiam minimum. Nominе lucri non intelligitur tantum pecunia, sed quidquid pretio æstimabile est, ut vinum, triticum, vel onus aliquod mutuariо impositum, v. g., tales frequentandi officinam, tale obsequium præstandi. Contra vero; quod non est pretio æstimabile, vel quod aliunde est debitum, objectum usuræ esse non potest, quia non est lucrum. Hinc qui mutuum dat alteri ut amicitiam illius obtineat, ut iste debitum solvat, depositum reddat, ab injusta vexatione ccesset, etc., usuræ non fit reus; quia nullum proprium percipit lucrum. Item si exigeret a sacerdote, mutuum illi præstando, ut missas celebraret, non usura tunc esset, sed simonia; missæ quippe non sunt pretio æstimabiles, nec reputari possunt lucrum.

Dicitur 2º *ex mutuo*; usura enim, ut ab omnibus intelligitur, in solo mutuo sedem habet: unde si in aliis contractibus aliqua sit injustitia, non appellatur usura, nisi revera ibi existat mutuum saltem implicitum, ut v. g., si in venditione lucrum percipiatur, præcise ob dilationem solutionis; hæc enim solutionis dilatio mutuo æquivalet.

Dicitur 3º *ex mutuo immediate seu vi mutui proveniens*; omnes enim fatentur lucrum, licet occasione mutui percipiatur, usuram vocari non debere, si ex mutuo et vi solius mutui non proveniat. Hinc quod titulo gratuito donatur, quod in compensationem damni emergentis vel lucri cessantis solvit, non est usura, quia ex mutuo immediate non provenit.

Usura potest esse *explicita* seu *formalis*, *implicita* et *palliata*. Est explicita seu formalis quando expressa fit

conventio de illa solvenda. Est vero implicita cum mutuans nullum stipulatur lucrum, sed aliunde sufficienter manifestat se quoddam ex mutuo exspectare beneficium, dicendo, v. g., se indigere ut pecunia sua aliquid sibi producat; si fingatur lucrum e contractu a mutuo diverso oriri, usura dicitur palliata.

Usura potest adhuc esse *realis*, *mentalis* et *mere mentalis*. Est *realis*, quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito percipitur; est *mentalis*, quando ex mutuo desideratur, intenditur, speratur ut aliquid debitum et percipitur; est *mere mentalis*, quando sic intenta et sperata de facto non percipitur.

Distinguitur insuper *usura sortis* et *usura usuræ*. *Usura sortis* est illa de qua jam locuti sumus, scilicet, lucrum quod ex sorte mutuo data percipitur; *usura usuræ* est lucrum quod ex lucro antecedenter debito et non soluto percipitur.

Nostra hæc *usuræ* definitio evidentissimum habet fundatum in Scriptura et in toto traditionis cursu: nam id omne et solum ubique appellatur *usura*, *quod in mutuo sorti accedit, quod sortem excedit, quod est amplius, quod est superabundans*, ut in testimoniis quæ brevi allaturi sumus unusquisque videre poterit: at nostra definitio id omne et solum comprehendit quod mutuo sorti accedit, sortem excedit, quod est amplius vel superabundans: ergo est accurata. Neque dici potest textus allatos nimis probare, et etiam titulos extrinsecos excludere; in propositione generali non veniunt quæ jure vel per se excipiuntur, et sic, quando prohibetur percipere quidquid sortem excedit, hoc non intelligendum est de auctario compensatorio quod per se excipitur.

His præmissis, in dupli sectione videbimus 1º an *usura sit licita*; 2º quænam *consectaria* ex *prohibitione usuræ defluant*, seu an et quomodo ratione *usuræ sit restituendum*.

SECTIO PRIMA. — An *usura sit licita*.

Circa hanc quæstionem variae prodierunt opiniones.

1º est *Judeorum* qui lege Moysis, Deut. xxiii, 19, in-

nixi, crediderunt, et etiam nunc credunt omnem *usuram*, sive a divitibus, sive a pauperibus exigatur, licitam esse erga extraneos, id est, erga omnes qui non sunt *Judæi*.

2º est *Græcorum schismaticorum* qui, posthabita *Patrum Orientalis ecclesiæ auctoritate*, docent omnem *usuram* esse licitam et societati utilem: nituntur quibusdam legibus Imperatorum qui *usuras pluries toleraverunt*.

3º est *Pseudoreformatorum* qui post laxitatem in doctrina toties *ecclesiæ Romanæ* exprobратam, *usuram* alii aliis rationibus comprobaverunt. Dux eorum fuit *Calvinus* qui in *Commentario in cap. xviii Ezechielis*, aperte docet *usuram* esse licitam, modo 1º a pauperibus non exigatur; 2º ut quæ a divitibus exiguntur non sit nimia, sed moderata. Eamdem omnino opinionem amplexus est *du Moulin* in *Tractatu de Usura*. Illi quoque fere subscripsit *Saumaise*, docuit enim omnem *usuram* per se licitam esse et honestam tanquam pecunia locatæ pretium. Sic pariter nunc communiter sentiunt *Lutherani* contra ipsum *Lutherum* et priores ejus asseclas, ut sunt *Bucer*, *Melanchthon*, *Brentius*, *Chemnitius*, etc. Vide *Concinam*, l. 3, cap. 6, n. 2.

4º est hæreticorum doctrina quam nonnulli fere admirerunt *catholici*, qui duplex etiam mutui genus distinguunt, unum videlicet quo res in consumptionem datur, ut fieri solet respectu pauperum vel etiam divitum qui nunc mutuo indigent, et alterum quo res vel pecunia ad negotiationem traditur, et vocant illud *prêt de commerce*. In priori casu id omne *usuram* esse dicunt quod ultra sortem exiguntur: in posteriori vero nullam esse *usuram* contendunt, si quid moderatum supra sortem exigatur. Sic *Meignot*, in suo opere dicto: *La pratique des billets*, 4 vol. in-12.

5º. Eamdem sententiam fortiter tenuerunt *Janseniste* in *Bataviam profugi*, et præsertim in opere cui titulus: *Défense des contrats de rente rachetables des deux côtés*. In primis docuerunt 1º *usuram* jure naturali non esse prohibitam; 2º lege divina prohiberi tantum respectu pauperum vel indigentium qui rem consumunt, sed non respectu divitum qui ope commercii aliquid pecunia æqui-

valens acquirunt; 3º doctrinam istam totius fuisse Ecclesiae per duodecim priora sæcula, illamque scholasticos sex abhinc circiter sæculis, duce *Scoto*, tenere et imperite obnubilatam impugnassee. Sic etiam habet alter anonymous in opere inscripto: *La Théorie du Prêt*, 1 vol. in-12. Idem pariter admittunt, licet timide et velut titubantes, nonnulli recentiores catholici, inter quos *Bergier* in *Dictionnaire* suo theologico, vº *Usure*, et auctor operis ex mandato archiepiscopi *Salisburgiensis* (*Salzburg*) compositi, et in idioma gallicum sub hoc nomine traducti: *Exposition de la Morale chrétienne*, t. 2, pag. 155, seu § 114. Hæc duo opera recenter fuerunt emendata.

Alii celebres auctores, ut *D. de la Forêt*, parochus *Lugdunensis*, in opere: *Traité de l'Usure et de l'Intérêt*, edito an. 1769 et 1776, et, recentius, *cardinalis de la Luzerne*, in opere dicto: *Dissertation sur le Prêt de commerce*, anni 1823, 5 vol. in-8º, et *Mastrofini*, clericus Romanus, in opere cui titulus: *Discussion sur l'Usure*, 1 vol. in-8º, anno 1830, Romæ impresso, a duobus S. Officii consultoribus valde laudato, in linguam nostram super 4ª editione Italiana anno 1834 converso, fortiter contendunt lucrum ex mutuo divitibus præstito proveniens non esse prohibitum.

6*. Generaliter catholici contendunt omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum, sive magnum, sive parvum, sive a paupere exigatur, sive a divite, usurarium esse et illicitum.

Priusquam hac de re discussionem aggrediamur, quasdam opus est præmittere notiones, ad quæstionem magis enucleandam et punctum difficultatis accuratius determinandum necessarias.

1º Certum est mutuatarium ex plena liberalitate aliquid supra sortem mutuanti donare posse, et tunc mutuantem non peccare hunc excessum acceptando, modo illum non exegerit, nec ut debitum speraverit.

2º Certum est mutuantem aliquid licite supra sortem exigere posse, si mutuum præstando aliquod patiatur detrimentum, ut infra probaturi sumus.

Tota igitur quæstio est an qui mutuum sine ullo incommodo alteri præstat, aliquid vi mutui exigere possit.

Qui affirmant, ad principia juris naturalis configunt, et omnia Scriptura ac Patrum testimonia quæ sibi opponuntur, vel postponunt, vel ope solius rationis explicare nituntur; multi autem eos refellere volentes, ab ejusdem legis naturalis principiis incipiunt et ipsi, sieque interninabilis controversia instituitur; nam graves utrinque afferrunt rationes, præsertim ubi agitur de mutuo divitibus et negotiatoribus illo non indigentibus præstito. At breviori simul et lucidiori methodo præsens disputatio terminari posse nobis videtur: quamvis enim facile non concipiatur omne lucrum ex mutuo perceptum esse injustum, ita nihilominus habendum est, si existat lex divina quæ illud prohibeat ut injustum.

Eoim vero, si quis bene natus in simplicitate et bona fide, a legisperito quæreret an talem contractum inire licet, et legisperitus ostenderet illi principem hujusmodi contractum prohibuisse, nonne statim concluderet ab illo esse abstinentium, etiamsi motiva hujus prohibitionis non comperiret? ergo a fortiori quilibet homo, et multo magis quisquis Christianus, statim concludere debet quocumque lucrum ex mutuo perceptum illicitum esse et injustum, si existat lex divina qua illud ut tale prohibeat, etiamsi motiva hujus legis non clare intelligeret.

His præmissis, sit

PROPOSITIO.

Omne lucrum ex mutuo immediate proveniens, seu vi mutui perceptum, est illicitum et injustum.

Prob. Tale est quippe, si existat lex divina quæ illud prohibeat ut injustum: atqui existit lex divina quæ omne lucrum ex mutuo immediate proveniens ut injustum prohibet; existentia enim legis divinæ repetitur ex Scriptura sacra, ex conciliis, ex sanctis Patribus, ex decisionibus summorum Pontificum et ex unanimi doctorum consensu: porro ex diversis his momentis constat existere legem

divinam quæ omne lucrum ex mutuo immediate prove-niens, seu vi mutui perceptum, ut injustum prohibet.

PRIMO. *Argumentum ex Scriptura sacra.*

Exod. xxii, 25 : Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

Levit. xxv, 35 : Si attenuatus fuerit frater tuus, et infir-mus manu.... ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum su-perabundantium non exiges.

Deut. xxiii, 19 : Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget commoda-bis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.

Unde sic argumentari licet : Ut ex his textibus propo-sitio nostra demonstretur, tria sufficiunt, scilicet, 1º quod per usuram omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum intelligatur ; 2º quod omnibus prohibetur Judæis et erga omnes Judæos, sive pauperes, sive divites ; 3º quod illa prohibitio abrogata non fuerit in Lege nova, et nunc pro omnibus saltem Christianis erga omnes homines existat : atqui tria hæc certa sunt :

1º In textibus præfatis nomine usuræ intelligitur omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum; nam expresse di-citur, *nec amplius quam dedisti accipias : superabundan-tiam non exiges* : at etiamsi non excessivum, sed parvum et moderatum exigeretur lucrum, semper esset amplius quam datum est, et vera superabundantia : ergo. Ita om-nes generatim Judæi et Christiani.

2º Lucrum istud omnibus prohibetur Judæis et erga omnes Judæos. 1º Omnibus ; lex quidem non distinguit inter populum et magistratus, inter pauperem et divitem, sacerdotes et laicos : ergo nec nos distinguere debemus. 2º Erga omnes, sive pauperes, sive divites, prohibetur ; nam prohibetur erga omnes fratres, *non fenerabis fratri*

tuo : hic autem nomine fratri quilibet intelligitur Judæus, pauper et dives ; frater enim opponitur alieno : non fe-nerabis *fratri tuo, sed alieno*, recte autem non opponere-tur alieno si de omni Judæo non intelligeretur ; nullus namque Judæus, sive pauper, sive dives, per alienum un-quam fuit designatus. Ergo.

Unde Philo judæus, in libro de Charitate, edit. Paris, an. 1640, p. 700, ait : « *Vetat Moyses fratri fenerari ; fratrem nominans non solum ex iisdem natum parenti-bus, verum etiam quemcumque civem tribulumve, iniquum ducens e pecuniis fenus tanquam e pecoribus fetus colligere atque percipere.* »

S. Clemens Alexandrinus, in lib. 2 Strom., n. 18, sic habet : « *De elargitione et communicatione cum multa di-ci possint, sufficit hoc dicere, quod lex prohibet fratti fenerari; fratrem nominans non eum solum qui ex iis-dem est natus parentibus, sed etiam qui fuerit ejusdem tribus, ejusdem sententia, ejusdem verbi particeps, non æquum censens ut ex pecuniis usuras colligamus.* »

Sic explicat *S. Ambrosius*, in cap. XIV Tobiæ, et plures alii. Imo ipsi Judæi, nunc per orbem universum palabun-di, licet quæstus cupidissimi et ut feneratores ubique no-tissimi, credunt tamen quamcumque usuram sibi esse prohibitam erga omnes fratres suos, seu Judæos, etiam divites et negotiatores : ergo prædictos textus alio sensu intelligere nefas est.

Mirum igitur quanta fiducia recentiores hæretici et non-nulli catholici affirmare audeant Moysen usuram erga pau-peres tantum prohibuisse, quasi ipsius legem melius in-telligent quam omnium sæculorum Judæi, et innumeri sancti Patres. Moyses equidem in Exodo et Levitico im-manitatem usuræ præcipue intendisse videtur; sed in Deu-teronomio naturam et extensionem usuræ clarius deter-minat, illamque universim erga omnes Judæos absque ulla restrictione prohibet : *Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Hic supponit, quod prius dixerat, scilicet usuram esse id omne quod sortem excedit, et declarat nec pecuniam, nec fru-

ges, nec alias res hujusmodi ad usuram dari posse. Addit autem : *Fratri tuo id quo indiget absque usura commoda tibi.* His ultimis innituntur verbis adversarii, ut contendant præsentem Deuteronomii legem usuram prohibentem, de pauperibus tantum intelligendam esse.

At præter omnes quas jam attulimus rationes, sic responderi potest : 1º Qui mutuum postulat, etiamsi aliunde dives existat, nihilominus aliquo sensu eo indiget; ille enim re aliqua indigere merito dicitur, qui illam non habet illaque caret: dives autem vel mercator qui mutuum querit, pecuniam, v. g., petit, illam revera non habet, illa caret: ea ergo indiget. 2º Verba ista *id quo indiget*, in textu Hebraico non leguntur, nec in versione Septuaginta interpretum, nec illa reperit *Gaïte* in versione Syriaca, nec in Persica, nec in Arabica, nec in paraphrasi Chaldaica, nec in ulla alia quam legere aut consulere potuit, *Tract. de Usura et Fenore*, p. 311. Immerito igitur et absque ullo rationabili fundamento prohibitio usuræ propter hæc verba restringeretur: ergo 2º lucrum, ex mutuo vi mutui perceptum, omnibus et erga omnes Judæos prohibebatur.

3º Hæc prohibitio per novam legem non fuit abrogata; etenim lex nova abrogavit quidem omnia præcepta cærimonialia et judicialia, sed, ex omnium consensu, præcepta moralia non abrogavit; ea potius perfecit, supprimendo et reformando quidquid in illis erat imperfectum. v. g., divortium in matrimonio: at præceptum quo omnis usura prohibetur non erat cærimoniale, nec judiciale, sed morale; siquidem prohibet usuram ut quid in se malum, ut videre est in diversis Scripturæ locis in quibus de usura agitur: *Non opprimes eum: nec amplius accipias; superabundantiam non exiges.*

Præterea sic se habet Psalmista, in Ps. xiv : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?..., qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum... qui jurat proximo suo, et non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super-*

innocentem non accepit. David usuram reponit inter injus-
titiam, mendacium, dolum aliaque hujusmodi crimina:
ergo credit illam esse malam sicut alia quæ memorat fa-
einora. Idem habetur, Ps. liv, 12 : *Et non defecit de plateis
ejus usura et dolus;* Ps. lxxi, 14 : *Ex usuris et iniquitate
redimet animas eorum.*

Ezech. xviii, 10, ita virum injustum describit : *Si ge-
nuerit (vir) filium latronem, effundentem sanguinem, uxo-
rem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contri-
stantem, rapientem rapinas, pigius non redditem, ad idola
levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usu-
ram dantem et amplius accipientem: numquid vivet? Non
vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur;
sanguis ejus in ipso erit.* Ex illo textu patet 1º usuram in
eo consistere, quod aliquid supra sortem accipiatur, *ad
usuram dantem et amplius accipientem;* item dicitur, §. 8
eiusdem capituli et §. 17, *usuram et superabundantiam
non acceperit;* 2º patet ex eodem textu usuram ut aliquid
malum prohiberi; nam vocatur detestanda, et inter alia
detestanda Propheta eam collocat: ergo præceptum quo
prohibetur est morale, ac proinde lex nova illud non abro-
gare, sed potius perficere debuit.

Et vero, Christus mirandam doctrinam suam explicans,
hæc dicit, Luc. vi, 34 et 35 : *Et si mutuum dederitis his a
quibus speratis recipere, que gratia est vobis? nam et peccatores
peccatoribus fenerantur, ut recipient aequalia. Ve-
rum tamen diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum
date, nihil inde sperantes.*

Unde sic : Christus loquebatur Judæis, qui omnes scie-
bant quamecumque usuram ipsis prohibitam esse, inter
quos tamen multi tunc erant usurarii, ex quo Romani in
Judæa publicam exercebant potestatem. Vetat autem ne
mutuum præstent, sicut dare solent peccatores; peccatores
enim mutuum dant peccatoribus ut recipient saltem aequa-
lia; id est ut simile beneficium in alia circumstantia sibi
præstetur: at Christus expresse vetat ne aliquid ex mutuo
speretur, ne quidem simile mutuum, vel, ut plures volunt,
nec ipsa sors, quando ex præcepto charitatis necessitatem

patienti per mutuum subveniendum est; *a fortiori* vetat ne lucrum ex mutuo exigatur. Nonne enim cuncti auditores statim intelligere debuerunt Christum his verbis strictam jubere legis divinæ jam existentis observantiam? Sensus ille naturalis et obvius videtur. Sic passim sancti Pates, doctores et concilia præsentem intellexerunt textum, ut ex dicendis videbitur. « La tradition constante des conciles, à commencer par les plus anciens, celle des papes, des Pères, des interprètes et de l'Église romaine, » est d'interpréter ce verset comme prohibitif du profit qu'on tire du prêt. » Bossuet, 2^e Inst. sur la version du Nouveau Testament de Trévoux, tom. 4, page 544, édition de Versailles. Ergo nedum Christus abrogaverit præceptum quo usura in veteri Lege prohibebatur, illud e contra stabilivit, confirmavit atque perfecit; non venit enim solvere legem, sed illam adimplere et perficere: præceptum charitatis perfecit, jubendo ut ipsi diligenterunt inimici; præceptum indissolubilitatis matrimonii et unitatis uxoris, prohibendo libellum repudii et polygamiam; ita perfecit etiam præceptum omnem usuram prohibens, efficiens scilicet ut cunctos Christianos erga omnes homines obstringeret: nam lex Evangelica omnes saltem Christianos obligat; quicumque homines ut proximi et fratres nostri nunc habendi sunt: ergo denique præceptum quo omne lucrum ex mutuo perceptum prohibetur, per legem novam non fuit abrogatum; aliunde, etc. Ergo.

Dices: Ex texto Deuteronomii jam citato, Deus permisit Hebræis ut *ab alieno* usuram exigere possent: ergo usura non est in se mala.

R. Nego conseq. Nam 1^o dici potest Deum eo sensu permisso Hebræis usuram ab alieno exigere, quo eidem permiserat ut vasa Agyptiorum auferrent; in ea autem hypothesi, usura, quamvis in se mala, erat licita; malitia usuræ in eo enim consistit, quod aliquid ex mutuo absque titulo exigatur: sed, posita Dei permissione, quod propter mutuum postulatur, sine titulo non exigitur, siquidem Deus, ut pote supremus honorum omnium dominus, sua auctoritate transfert dominium incrementi quod percipi-

tur. Ergo. 2^o Dici potest hanc facultatem a Deo Hebræis concessam, usuras scilicet ab alienis exigendi, eas tantum respexisse gentes quas exterminare debebant: porro si illas exterminare deberent, pari jure eas expoliare poterant. Ita S. Ambrosius in cap. xv Tob. « Quis erat, inquit, tunc » alienigena nisi Amalec, nisi Amorrhæus, nisi hostis? Ibi » usuram exige cui merito nocere desideras... Ergo ubi » jus belli, ibi jus etiam usuræ. » Ipsinet hæretici fatentur Judæos per hanc concessionem jus non habuisse exigendi usuras ab aliis extraneis. 3^o Dici potest, cum S. Th. 2 2, q. 78, art. 1 ad 2^{um}, Hebræis non fuisse permisum usuras ab extraneis exigere, sed toleratum tanquam minus malum, propter duritiam cordis eorum, sicut repudium uxorum erat toleratum. Ergo.

SECUNDO. — Argumentum ex conciliis.

Concilium Eliberitanum (*d'Elvire*), anno 305 celebratum, sic habet, can. 2: « Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari et abstinere; si quis etiam laicus accepisse probetur usuras, et promisit correptus se jam cessaturum, nec ulterius exacturum, placet etiam ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia sciatur se esse projiciendum. » Labbe, t. 1. Ecclesia in hoc canone supponit usuram esse illicitam, et eam sub gravissimis poenis prohibet non solum clericis, sed etiam laicis: at usura simpliciter, et absque distinctione de omni lucro ex mutuo proveniente intelligenda est, ut patet tum ex textibus Scripturarum jam allatis, tum ex multis conciliorum et Patrum testimoniis mox referendis: ergo.

Concil. Nicænum I generale, an. 325, can. 17: « Quoniam multi sub regula constituti, id est clerici, avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinae Scripturæ dicentis, qui pecuniam suam uon dedit ad usuram, mutuum dantes, centesimas exigunt, juste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras acepiens... dejiciatur a clero et

» alienus existat a regula. » *Labbe*, t. 2. Unde sic : Concilium graves deceruendo pœnas contra clericos usurarios, declarat eos obliuisci præceptum divinum usuram prohibens : manifestum est autem præceptum divinum non ad solos respicere clericos : ergo, licet concilium usuram illis tantummodo interdicere videatur, non magis inferri potest, illam laicis non esse prohibitam quam, ex eo quod plurima concilia gravissimas decernant pœnas contra clericos concubinarios, concludi potest concubinatum laicis esse permisum. Ergo.

In concilio Carthaginensi I, circa annum 348, can. 13, cum Abundantius, episcopus Adrumetinus, repræsentaret usuram in concilio provinciae suæ clericis fuisse interdic-tam et postularet ut decretum istud a concilio generali Africano confirmaretur, tunc Gratus, Carthaginensis episcopus et concilii præses, dixit : « De quibus apertissime » divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, » sed potius exequenda ; proinde quod in laicis reprehendit, id multo magis in clericis oportet prædamnari. » Universi dixerunt : « Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia fecit sine periculo. » *Labbe*, t. 2.

Concilium Agathense, an. 506 : « Usura est ubi amplius requiritur quam datur, v. g., si dederis solidos decem, et amplius quæsieris, vel dederis frumenti modium, unum et super aliquid exegeris. » *Labbe*, t. 4.

In concilio Lateranensi V, sess. 10, Leo X, Pontifex maximus, sic se exprimit : « Sacro approbante concilio, » Dominus noster, Evangelista attestante, aperte nos præcepito astrinxit ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. » *Labbe*, t. 14. Tria hæc concilia sunt ita clara ut nulla interpretatione indigeant, probantque quid sit usura, et quo sensu intelligendi sint Scripturæ textus, præsertim *Luc.* vi.

Concilium Viennense, sub Clemente V celebratum, sic in clementina unica de Usuris, l. 5, Clem. cap. 1. pronuntiat : « Si quis in hunc errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus illum velut hæreticum esse puniendum. »

Verum ut hæreticus non esset puniendus si non existeret lex divina usuram prohibens ; concilium autem non distinguit inter pauperes et divites ; de usura in genere loquitur, et sine dubio, prout a Scriptura, Patribus et aliis conciliis definita est : porro usura, sic generaliter intellecta, est quidquid sortem excedit, ut pluries jam ostendimus : ergo.

Hinc theologi concludunt propositionem nostram esse saltem fidei proximam. Illustrissimus *Bossuet* sine tergiversatione affirmat illam esse de fide, *Traité de l'usure*, prop. 5.

TERTIO. — Argumentum ex sanctis Patribus.

Quosdam tantum inter fere omnes seligemus. *Tertullianus*, lib. 4 contra Marcionem, in toto libri hujus decursu probare intendit Evangelium cum Veteri Testamento perfecte congruere, et ibi verba cap. vi *S. Lucæ*, *Et si mutuum dederitis*, etc., explicat ; cap. 25, alias 17, sic ait : « Hic nunc de fenore cum interponit : *Et si feneraveritis a quibus speratis vos accepturos, quæ gratia est vobis?* » Percurre sequentia Ezechielis de eodem viro justo : *Pecuniam, inquit, suam fenore non dedit, et quod abundaverit non sumet, fenoris scilicet redundantiam, quod est usura.* Prius igitur fuit ut fructum fenoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi quoque fenori, si forte, perdendo. »

Ex illo textu patet 1º usuram esse sortis superabundantiam ; 2º legem divinam eam prohibere ; 3º hanc legem magis et perfectius in nova Lege quam in veteri existere.

Lactantius, lib. 6, Inst. div. c. 18 : « Pecuniæ, si quam crediderit, non accipiat usuram ; plus autem accipere quam dederit, injustum est. »

S. Basilus, in Ps. xiv : « Ezechiel id in maximis malis recenset, si fenus et quidquam ultra sortem accipiatur. »

S. Ambrosius, in cap. xiv lib. *Tobiæ*, ait : « Plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam ne-